

Kleinere Quellen und Forschungen zur Geschichte des Cistercienser-Ordens.

Von Dr. Otto Grillmberger, Ord. Cist. in Wilhering.

(Conclusio ex fasc. III pg. 458—468.)

Prohibetur RR. domino *Cistercii* et quatuor necnon capituli generalis commissariis abbatibus et provinciarum vicariis, ne in negotiis et rebus ordinem concernentibus saecularibus secretariis aut aliorum quam religiosorum nostrum ordinem professorum ministerio¹⁾ utantur aut sine aliquo comite eant.

[F. 324] Statuitur sub poena suspensionis a divinis, ut nullus abbas profectioem ultra sex menses duraturam instituat absque patris abbatis vel vicarii provinciae licentia in scriptis obtenta. Quo casu sub eadem poena prohibetur, ne temporale regimen saeculari committat, sed bursario vel cellerario aut alicui religioso ordinem nostrum professo de consilio seniorum, cui tamen poterit aliquem saecularem adiungere, prout suadebit necessitas vel utilitas monasterii.

Nullae novae foundationes a quoquam abbate nec conventu neque coniunctim neque separatim sine expresso capituli generalis vel RR. D. *Cisterciensis* aut patris abbatis consensu et approbatione recipiantur. Quia vero in quibusdam monasteriis magnus missarum numerus ex variis defunctorum legatis impositus est vel etiam eleemosynae pro illis celebrandis relictæ adeo tenues sunt, ut pro illis satisfieri nequeat prae paucitate sacerdotum, capitulum generale committit omnibus commissariis sive visitatoribus, ut in visitationibus singulorum monasteriorum visitandorum onera huiusmodi diligenter annotent una cum numero personarum necnon proventuum qualitate, ut in proximo sequenti capitulo generali relationem de his omnibus faciant. Et hæc in parte statuatur,²⁾ quod magis ad honorem Dei cultumque³⁾ necnon ecclesiarum utilitatem visum fuerit expedire.

Prioribus monasteriorum commendatorum prohibetur, [F. 324'] ne ullos ad habitum religionis suscipiant absque expressa patris abbatis vel vicarii provinciae licentia et approbatione in scriptis [obtenta] sub poena privationis ab officio et nullitatis receptionis eorum.

Piores monasteriorum commendatorum non eligantur a fratribus, sed instituantur a patre abbate et vicario provinciae, si eam facultatem habuerit ex literis sui vicariatus.

¹⁾ in ministerio.

²⁾ statuitur.

³⁾ cultum.

Nulli suscipiantur ad novitiatum absque consensu maioris partis conventus et non ante decimum quintum aetatis annum nec nisi idonei latinaque locutione aut saltem principiis grammaticalibus imbuti, non nothi, non spurii, non vitium notabile aut deformitatem in corpore habentes, non duo in eodem monasterio fratres germani sub poena suspensionis a divinis quoad recipientes et eiectionis quoad receptos. Novitii monasteriorum commendatorum non admittantur ad professionem nisi per patres abbates vel eorum commissarios. Districte vero prohibetur, ne praeter formam consuetam ordinis in emissione professionis novitiorum sibi iurari vel promitti sibi quidquam faciant, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda.

Conversi in sua professione nulla alia forma utantur quam antiqua, scilicet: *Promitto tibi obedientiam usque ad mortem de bono.*

[F. 235] Ut priores et suppriori, qui speciale regimen monasteriorum exercent, diligentius et accuratius suis muneribus intendant, prohibetur, ne officium bursarii, cellerarii aut procuratoris simul exerceant.

Fratres congregationis *Fuliensis*,¹⁾ qui iam ad monasteria nostra confugerunt, si in aliquo ipsorum stabilitatem suam non firmaverint, statim eiiciantur, vel si digni erunt qui admittantur, probentur per annum in novitiatu et eo elapso profiteantur. Eos vero dictae congregationis fratres, qui professionem generaliter fecerunt in ordine, sed nulli monasterio per stabilitatem sunt incorporati, pro non professis habendos esse declarat praesens capitulum generale.

Renovatur antiqua prohibitio de susceptione puerorum a fonte baptismatis per abbates vel monachos non praesumenda sub poena suspensionis ipso facto incurrenda.

Praeter *Cistercium* et quatuor primas illius filias deputabitur per capituli generalis commissarios in singulis provinciis monasterium idoneum, in quo scholae pro humanioribus studiis habeantur, ad quae fratres iuniores monasteriorum eiusdem provinciae mittantur cum honesta et sufficienti pensione per eosdem commissarios habita ratione pretii rerum [F. 325'] determinanda et ordinanda, ut postmodum ad generalia studia capaciores existant et non habeant occasionem vagandi per civitates.

Nullus abbas vel religiosus sub poena excommunicationis pro quacunque persona etiam ecclesiastica, ne quidem pro monasterio ordinis absque patris vel vicarii provinciae et proprii conventus consensu pro summa excedente centum aureos fideiussorem se constituat aut cautionem det vel ullo modo sese obliget.

¹⁾ Fuldensis.

Nulli abbates recipiant officia receptorum regum, ducum, principum aut rerum publicarum sub poena suspensionis a divinis et ab administratione temporalium suorum monasteriorum, et si intra tres menses non deposuerint officia, ipso facto abbatiali dignitate priventur.

In venditionibus, permutationibus, emphyteusibus¹⁾ et aliis bonorum immobilium alienationibus faciendis antiquae constitutiones ordinis observentur nec contra formam earundem cuiquam superiorum, etiam RR. D. generali et quatuor primis liceat contractus desuper ineundis quavis autoritate confirmare vel approbare sub poena excommunicationis latae sententiae.

Quoniam venit ad aures capituli generalis annis [F. 326] retroactis fuisse factas multas alienationes, oppignorationes, hypothecas et distractiones bonorum ordinis monasteriorum contra formam Benedictinae et statutorum illius in evidens et intolerabile eorundem monasteriorum, ecclesiarum et pauperum praeiudicium et gravamen, eas omnes alienationes, oppignorationes, hypothecas, distractiones et contractus desuper initos, quavis autoritate et etiam in praecedentibus capitulis et alias per quoscunque, etiam pie memoriae RR. dominum *Cisterciū* et quatuor primos abbates necnon provinciarum vicarios, confirmatos revocat, cassat et annullat ac viribus prorsus evacuat praesens capitulum generale et ea omnia in eum, in quo ante huiusmodi confirmationes fuerint, statum reponit. Ac propterea mandat omnibus capituli generalis commissariis et procuratoribus ac syndicis, quatenus autoritate capituli generalis abbates et abbatissas necnon administratores et officarios monasteriorum et locorum ordinis quoslibet ad recuperationem bonorum sic in praeiudicium alienatorum per censuras et poenas aliaque oportuna iuris et facti remedia compellant. Dispensat etiam capitulum generale cum omnibus et singulis ordinis personis super quibusvis [F. 326'] iuramentis per ipsos in eiusmodi contractibus ineundis forsitan praestitis eosque ab iisdem absolvit et absolutos fore et esse censet in plenaria ordinis potestate. Abbates autem et abbatissae, qui postquam vigore huius decreti fuerint legitime requisiti, in recuperatione huiusmodi bonorum negligentes extiterint aut eam pro posse exequi recusaverint, quemadmodum et officiales atque administratores monasteriorum, eo ipso a divinis et omnium temporalium administratione absque alia declaratione sint suspensi.

[F. 327] De monialibus. Puellae illegitimae aut vitium notabile habentes in corpore non recipiantur ad habitum regularem, sicut nec duae sorores in eodem monasterio, nisi ad hoc a patre abbate vel vicario provinciae dispensetur, nec minores duodecim

¹⁾ emphyteusibus.

annis. Susceptae vero instituantur cum monialibus in conventu in locis regularibus ad id deputatis, non autem in aedibus abbatissae, habeantque singulae cellas proprias in dormitorio, ubi pernoctent. Refectionem in communi refectorio cum caeteris accipiant. Nullam vero puellam admittant abbatissae aut iam admissam eiciant absque speciali auctoritate, licentia mandatoque patris abbatis vel vicarii provinciae sub poena suspensionis ab administratione abbatiali ipso facto incurrenda.

Pecuniae in novitiarum receptione et earundem professione a parentibus et aliis pro victu praestitae illius temporis, quo in probatione fuerint, vel etiam loco dotis aut elemosynae erogandae non tradantur abbatissis, sed bursariis vel cellerariis de consilio patris abbatis vel vicarii provinciae in communes et magis necessarios usus monasterii expendendae vel etiam in census perpetuos convertendae.

[F. 327'] Abbatissae generalem suae administrationis computationem patri abbati vel vicario provinciae singulis annis tempore visitationis reddent; recusantes ipso facto suspensionis ab administratione abbatiali poenam incurrant.

In omnibus monasteriis monialium patres abbates et vicarii provinciae clausuram iuxta concilium *Tridentinum*, ubi non est, introducant et eam observari, quantum in eis fuerit, faciant. In partibus autem haeresi infectis et in aliis, ubi propter brachii saecularis defectum huiusmodi clausura introduci non poterit, saltem id a praedictis patribus vel vicariis curetur diligenter, ut honestam vitam ducant. Et ideo tam abbatissae quam moniales clausuram nunquam egrediantur nisi ex urgentissima et valde necessaria causa praevia eorumdem patrum abbatum vel vicariorum licentia in scriptis [obtenta]. Alioquin tam dictae abbatissae quam moniales ipso facto excommunicationem incurrant. Nec sub eadem excommunicationis poena liceat ipsis intra septa clausurae saeculares vel regulares personasmittere nisi ex causa omnino necessaria et praevia dictorum superiorum licentia. Abbatissae, quae contra formam huius decreti suis monialibus licentiam egrediendi concesserint, sint ipso facto [F. 328] excommunicatae et prima vice suspendantur ab administratione abbatiali, et si recidivae fuerint, omnino illa priventur.

Curent patres abbates et vicarii monialium, ut vestes monialium tam interiores quam exteriores sint statui regulari et honestati vitae conformes nec alterius coloris aut materiae quam in ordine permissae, non crispae, non pomposae aut saeculares. Velum nigrum habeant super albo ad oculos usque demissum nec liceat quovis praetextu proprias et peculiarias arculas habere, sed communium ministerio, quas illis abbatissa omnino dare tenebitur, sint contentae. Nullos quoque canes intra septa monasterii alant. Porro

patres abbates et quicumque provinciarum vicarii teneantur intra tres menses proximos a celebratione praesentis capituli generalis confessarios et capellanos saeculares amovere quoscumque et regulares ordinem professos, vita, moribus et scientia idoneos in locum amotorum subrogare et substituere. Quos abbatissa et moniales sub poena suspensionis et aliis recipere necnon eis de sufficientibus alimentis providere debeant omni appellatione et excusatione penitus exclusa. Dicti vero patres confessarii cum abbatissis non comedant, sed in propria mensa vel cum hospitibus edant. Omnes denique et singulae moniales extraordinario confessario sibi aliquoties per annum [F. 328'] iuxta concilii *Tridentini* diffinitionem offerendo, qui regularis esse debet,¹⁾ ubi talium copia fuerit, confiteri non omittant.

Hortatur capitulum generale omnes ordinis professores, ut dimisso lineorum usu laneis et regularibus indusiis pro maiori castigatione corporis utantur, serio nihilo minus districteque prohibens, ne hi, qui prae humana fragilitate antiquam²⁾ patrum consuetudinem circa hoc repetere adhuc impediuntur, longioribus et prominentioribus collaribus utantur, ne forte pios spectantium oculos hoc pacto offendant.

Quia capitulo generali constat optimam reformandi ordinis rationem in bona et religiosa novitiorum institutione consistere, statuit et ordinat, imo praecipit, ut per suos generales commissarios singulis in provinciis monasterium aliquod deputetur, ad quod omnes illius provinciae abbates et monachorum superiores suos novitios probandos et per annum in regula necnon in pietatis exercitiis et monasticis observantiis ab aliquo pio et idoneo magistro erudiendos et informandos cum rationabili pensione per eosdem commissarios determinanda mittere teneantur.

In singulis *Galliae* provinciis, ubi necesse fuerit habere vicarios, singuli vicarii de consensu et consilio illius vel illorum patrum abbatum, qui filias abbatias [F. 329] ibi habuerint, per RR. dominum *Cistercii* et dictos patres abbates coniunctim constituentur. Qui quidem vicarii iuxta formam suarum commissionum in eis visitabunt, ordinabunt et reformabunt, quaecumque visitatione, ordinatione aut reformatione indigere cognoverint, sed nomine et autoritate illius, a quo monasterium visitatum dependebit immediate. Qui etiam singulis annis relationem universalem super statum monasteriorum provinciae sibi commissae ad RR. dominum *Cistercii* et dictos patres abbates transmittere tenebuntur secundum uniuscuiusque generationes. Quodsi pater abbas vicarium huiusmodi negligentem in sua iurisdictione repererit, eum deponere in eius

¹⁾ regulares esse debent.

²⁾ his, qui — antequam.

erit potestate. Occurrente vero aliqua difficultate vel etiam interiecta appellatione ab eisdem provinciarum vicariis primo ad immediatum patrem abbatem et gradatim ad RR. dominum *Cistercii* vel ad proximum capitulum generale recurratur. Porro dictorum commissariorum capituli generalis sicut et vicariorum potestas ultra sequens capitulum non durabit, sed in eo¹⁾ suis vicariatibus et commissionibus renuntiare necnon administrati officii rationem reddere tenebuntur patribus immediatis. Quo casu autem dum capitulum generale propter aliquod superveniens impedimentum, puta belli, pestis, famis, suo tempore celebrari non possit, tunc super institutione, amotione vel continuatione [F. 329¹⁾] praedictorum vicariorum per RR. dominum *Cistercii* et quatuor primos abbates ipsius nomine convenientes modo quo primo disponetur.

In singulis regni *Galliarum* curiis promotor unus capax et idoneus per reverendissimum *Cistercii* et quatuor primos deputetur, qui ordinis iura, libertates, privilegia et immunitates defendat. Procurator autem generalis pariter a RR. domino *Cistercii* et quatuor primis abbatibus constituendus quolibet quadriennio illos, si fieri potest, visitet ac videat, quid egerint et quo pacto se in officiorum suorum exercitio gesserint, cuncta capitulo generali relaturus, ad quod quidem capitulum arresta omnia, quae in favorem quorumcunque ordinum in supremis vel etiam inferioribus curiis lata et pronuntiata reperiet, deferat, ut in archivio *Cistercii* reponantur. Ceterum sex mensibus ante capituli generalis celebrandi convocationem particulares supremarum curiarum promotores cuncta suae commissionis monasteria visitent et diligenter observent, quid in illis sit, de quo capitulum generale certius fieri necesse habeat, aut num pro re aliqua ad ipsum recurri debeat, quatenus eam procuratori generali pro tempore existenti transmittant, cuius partes erunt illa praedicto capitulo proponere, re tamen prius reverendissimo *Cistercii* et quatuor primis communicata.

[F. 330] Procurator autem generalis *Galliae* tribus mensibus ante dicti capituli generalis²⁾ convocationem *Lutetiam* adsit ibidem expectaturus cunctas rerum informationes, memorialia et instructiones negotiorum ab eodem in secundo capitulo proponendorum, quae ad illum commodius hoc pacto dirigentur.

Curent autem dicti procuratores generales ordinis diffinitiones et statuta necnon et chartas visitationum et vicariorum ordinationes³⁾ diligenter et accurate observari et ad cunctorum in iisdem contentorum observationem quoscunque per poenas in iisdem diffinitionibus, statutis et ordinationibus contentas compellant. Monachi vero ad

1) eis.

2) dictorum capitulorum generalium.

3) ordines.

easdem curias pro negotiis suorum monasteriorum gerendis missi se eidem generali procuratori vel eo absente promotori intra duos dies ab eorum adventu computandos repraesentaturi rationem agendorum; alias per dictum procuratorem vel eo absente per promotorem puniantur.

Quoniam regularem habitum nostrum a nonnullis *Germaniae, Poloniae* et vicinarum regionum abbatibus et officariis ita contemni relatum est, ut nullo prorsus imminente periculo et in¹⁾ mediis catholicorum civitatibus eo dimisso more saecularium vestiti incedere non vereantur, praesens capitulum generale serio et districte prohibet omnibus huiusmodi abbatibus, officariis et aliis quibuscunque monachis, ne sine regulari habitu publice incedant sive per civitates [F. 330'] sive extra ipsas, nisi alias grave et evidens periculum propter illius gestationem immineat.

Praesens capitulum generale indignum et prorsus iniquum esse iudicans, quod nonnulli abbates universam suorum monasteriorum substantiam soli consumant paucissimos et vere nullos fratres in suis monasteriis alendo, eiusmodi abbates serio monendos esse, quatenus sufficientem monachorum numerum recipiant, et nisi monitioni²⁾ acquieverint, ad id per omnes iuris et iustitiae vias a patribus abbatibus et vicariis et syndicis decrevit esse compellendos in plenaria ordinis potestate.

Quicumque abbates vel priores vel officarii aliquem fratrum conventualium ad subscribendum cuicumque contractui coegerint vel aliquid vexationis intulerint aut comminati fuerint, nisi subscripserint, tales ipso facto absque alia declaratione a divinis suspensos esse denunciat praesens capitulum generale.

Sigilla vero abbatum et conventuum seperatim haberi debent et utrisque proprii sigilli apponendi omnimoda potestas relinquatur.

Religiosi per prothonotarios aut alios quoscunque in minoribus academiis ante absolutum studiorum cursum ad gradum magisterii theologici promoti doctorum ordinis albo non inscribantur nec eorum privilegiis gaudere permittantur.

[F. 331] Relatum est capitulo praesenti nonnullos commendatorum monasteriorum conventus mensas conventuales separatas habentium absque interventu priorum nonnullos contractus desuper inire. Quod ne de caetero fiat, districte prohibemus sub poena nullitatis illorum contractuum ac praeterea amotionis ipsis subscribentium ab officiis sibi commissis ipso facto incurrenda.

Damnabili quoque quorundam privatorum praesumptioni et temeritati congruentem adhibere medelam cupiens³⁾ omnes et

1) cum in.

2) moti.

3) cupientes.

singulos contractus, locationes, arendationes¹⁾ quorumlibet bonorum monasteriorum seu aliorum locorum et quarumvis aliarum rerum per eiusmodi factos seu factas [praesens capitulum generale] praesenti decreto revocat penitus et rescindit eos, qui se opposuerint, proprietariorum sententiae penitus subiiciendo.

Dormitoria plerisque in locis id esse desinunt, quod dicuntur, cum omnes passim per improbitatem exemptionem et ab iisdem excusationes a suis superioribus extorqueant. Propterea decernit praesens capitulum generale omnes et singulos monachos exceptis doctoribus et baccalaureis formatis aliisque specialium camerarum solatio necessario indigentibus, qui a solis patribus abbatibus vel vicariis de consensu priorum abbatum excusari poterunt, in dormitorium et cellulas retrudi debere, in quibus si qui adhuc eorum existunt,²⁾ omni exceptione postposita confestim destruuntur.

[F. 331'] Monachi, qui laxioris cuiuspiam ordinis beneficia per s. sedis apostolicae [dispensationem] obtinuerint, habitum intra tres menses dimittant et absque ulla spē reversionis ad ordinem in domibus, e quibus illa dependent, profiteantur nec de caetero in monasteriis nostris ne quidem ut hospites suscipiantur, ne pravo ipsorum exemplo vel contagioso colloquio caeteri a regularibus observantiis avertantur, quod alias contigisse nonnulli abbates cum dolore conqueruntur.

In omnibus monasteriis certi et sufficientes redditus ad onera sacristiae supportanda per capituli generalis commissarios in bonis stabilibus determinentur.

Ad evitandos etiam anfractus, qui passim inter dominos commendatarios et conventus monasteriorum ipsis commendatorum oriri solent circa victus vestitusque et aliarum necessitatum administrationem, praesens [F. 332] capitulum generale decernit, ut in iisdem habeatur mensa conventualis de bonis immobilibus ab abbatialibus distincta et separata, quae ad religiosorum sustentationem, ipsorum monasteriorum et praecipue locorum regularium reparationem necnon ad caeterorum onerum claustralium supportationem sufficient.

¹⁾ locationis, arendationis.

²⁾ *Der ursprüngliche Text ist hier ohne Zweifel unrichtig überliefert. Vielleicht kommen wir der Wahrheit nahe, wenn wir lesen: . . . debere et speciales camerae superfluae in quibuscunq[ue] monasteriis, si quae adhuc earum existunt, . . . destruuntur. Von einer Zerstörung der Celler im Dormitorium, wie sie 1334 von der Benedictina (cap. 22) verlangt wird, kann wohl 1605 keine Rede mehr sein (vgl. Stat. d. Gen.-Cap. von 1601: De dormitorio. In dormitorio sese componant et dormiant fratres secundum regulae praescriptum: finito completorio accepta . . . aqua benedicta statim in dormitorio ascendant et singuli in suas cellulas se recipiant; vgl. auch die oben erwähnte Bestimmung des Gen.-Cap. von 1605 über das Dormitorium der Moniales).*

Finis statutorum anno Domini 1605 in capitulo generali sacri ordinis *Cisterciensis* celebrato in *Cistercio* diffinitorum. F. 332' leer.

XXIV. F. 333—334'. **Ordinatio capituli generalis anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, die vero 22. Maii et sequentibus apud Cistercium celebrati** sub RR. D. *Petro Nivellio* abbate *Cistercii*, ordinis *Cisterciensis* generali.

Diffinitores

RR. dominus noster s. theol. doctor.

Dominus de <i>Stamedio</i>	}	monasteriorum abbates.
" " <i>Caesarea</i>		
" " <i>Laude</i> ¹⁾		
" " <i>Sarneia</i> ²⁾		

Adm. R. D. *Ireo* de *Firmitate* s. theol. doctor.

Dominus de <i>Lucella</i>	}	monasteriorum abbates.
" " <i>Tribus Regibus</i>		
" " <i>Fulcaudi Monte</i> ³⁾		
" " <i>Strata</i> ⁴⁾		

[F. 333'] Adm. R. D. de *Pontigniaco*.

Dominus de <i>Loco Dei</i>	}	monasteriorum abbates.
" " <i>Fonte Guilelmi</i>		
" " <i>Pietate</i>		
" " <i>Marsilia</i> ⁵⁾		

Adm. R. D. *Claudius* de *Clara Valle*.

Dominus de <i>Dunis</i>	}	monasteriorum abbates.
" " <i>Villario</i>		
" " <i>Petris</i>		
" " <i>Villa Nova</i>		

Adm. R. D. *Claudius* de *Morimundo*.

Dominus de <i>Veteri Campo</i>	}	monasteriorum abbates.
" " <i>Claro Fonte</i>		
" " <i>s. Benedicto</i>		
" " <i>Claro Loco</i>		

Confessarii capituli generalis.

Dominus de <i>Valle Clara</i>	}	monasteriorum abbates.
" " <i>Columna</i>		
" " <i>Stella</i>		

1) Laute.

2) Scharmeia.

3) Fulcanti.

4) Stratata.

5) Marsiliaco.

Magistri caeremoniarum.

Adm. R. D. de *Clara Valle*.

R. domini prior et supprior *Cistercii*.

[F. 334] Receptores excusationum.

Dominus de *Veteri Monte* }
" " *Castilione* }
" " *Frisdorff*¹⁾ } monasteriorum abbates.
" " *Alta Sylva* }

Promotores causarum.

Dominus de *Monte s. Mariae* }
" " *Septem Fontibus* } monasteriorum abbates.

Examinatores contractuum.

Dominus de *Riveto* }
" " *Leoncella*²⁾ } monasteriorum abbates.
" " *Alta Ripa* }

Auditores computationum.

RR. D. *Cisterciensis*.

Quatuor primi abbates.

Et quos ipsis placebit eligere.

Notarii capituli generalis.

Dominus de *Ponte Frigido* }
" " *Charitate ad Liesinas*³⁾ } monasteriorum abbates.

[F. 334] Notarii ad pedes.

Fr. *Jacobus* de *Sarameia* religiosus de *Scala Dei*.

Sacellanus.

Fr. *Joannes Bagareth* religiosus *Cistercii*, secretarius RR. D. generalis.

Portarii diffinitorii.

Coadiutor de *Nisella*.

" " *Stamedio*.

XXV. F. 335—343. **Diffinitiones factae in capitulo generali apud Cistercium celebrato anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo vigesima secunda die Maii et sequentibus.** Anf.: *Orationes. Pro SS. D. nostro Urbano.... Schl.: sufficientes esse possint in plenaria ordinis potestate. F. Petrus Nivellius abbas et generalis Cisterciensis. Finis diffinitionum capituli generalis ordinis Cisterciensis anno Domini 1628 die 22. Maii et sequentibus apud Cistercium celebrati.*

¹⁾ Frischdorff.

²⁾ Leon Sella.

³⁾ Lerinas.

Von den Diffinitiones generales seien nachstehende erwähnt :

Visum fuit omnes antiquas diffinitiones in capitulis generalibus ad hoc usque tempus sedula diligentia inspiciendas et sepositis illis, quae pro necessitate temporum factae fuerant usuque abrogatae sunt, caeteras omnes in unum codicem compilandas.¹⁾ Cui labori suscipiendo committuntur delecti Fr. *Jacobus de Sarameia* monasterii de *Scala Dei* professor, RR. D. *Cisterciensis* capellanus et *Joannes Begerezius*,²⁾ qui compilatas huiusmodi diffinitiones et in unum codicem digestas proximo capitulo generali praesentabunt ab illo approbandas vel improbandas [F. 336', 337].

Religiosae omnium ordinis professorum quieti capitulum generale cupiens providere districte praecipit, ut in monasteriis, quae abstinentiae ab esu carniū noviter se dederunt, nullus omnino monachus ad ibidem commorandum mittatur, qui illam non sit paratus amplecti [F. 337].

Ut occurratur scandalis, quae saepe oriuntur ex monachorum evagatione, generale capitulum praecipit, ut qui deinceps sine licentia a suo superiore subscripta et ipsius sigillo obsignata e monasteriis suis egressi fuerint, ab illis, apud quos diverterint, carceribus mancipentur, ibidem per octiduum in pane et aqua ieiument. Quodsi in urbibus inventi fuerint absque huiusmodi licentia, curabunt provinciarum syndici, ut ibidem in carceres detrudantur per octiduum similiter in pane et aqua macerandi, dabuntque operam praedicti syndici, ut superioribus monasteriorum, a quibus egressi fuerint huiusmodi vagabundi, significetur illorum captura et in carceribus detentio, ut quantocius aliquem ex suis religiosis ad eos transmittant, quibus incumbit huiusmodi erroneos peracta poenitentia illos in ipsorum monasteria reducendi [F. 338].

Cum religiosam non deceat vitam saecularis conversatio, renovatur antiquum et saepius repetitum decretum, quo cavetur, ne monachi ordinis ecclesiis parochialibus inserviant [F. 339].

Nullis monachis sit licitum ad alium ordinem, etiam strictiorem, transire nisi petita licentia a suo superiore. Et si quis illa non petita transiverit, pro apostata et desertore sui instituti habeatur nec alio modo recipiatur, si ipsum aliquando reverti contigerit, quam quomodo secundum ordinis constitutionem fugitivi et apostatae recipiuntur [F. 339'].

Hortatur capitulum generale omnes ordinis conventus in quibuscunque monasteriis et locis degentes, ut quemadmodum in omnibus sacratissime virginis festivitatum vigiliis per totum ordinem ieiunatur, ita et in omnibus eiusdem festivitatis ab esu carniū

¹⁾ compilatus.

²⁾ Bagarethius?

ad imitationem *Cistercii* communis ordinis matris abstinenceur [F. 340].

Cum innumera sint beneficia, quae singulis diebus omnes mortales, praecipue vero qui suavissimo religionis iugo subduntur, ab angelo suo custode accipiunt, idcirco praecipitur, ut eiusdem officium in omnibus ordinis monasteriis eadem die, qua in *Romana* ecclesia, celebretur, ad quem effectum capitulum generale R. D. abbati de *Claravalle* committit, ut, quam primum ipsi commodum fuerit, praefato officio cantus ecclesiastici notas apponi faciat [F. 340'].

Monentur omnes novi abbates, ut benedictionem abbatialem non ab aliis quam a RR. domino *Cistercii* vel ab aliis ordinis patribus ad id potestatem habentibus petant et accipiant [F. 341].

Quotiescunque monasterium *Cistercii* matrem caeterorum monasteriorum omnium vacare contigerit, totius ordinis regimen et directionem penes quatuor primarios abbates residere capitulum generale declarat, et quia difficile esset semper illos pro omnibus occurrentibus negotiis simul convenire, poterunt sibi ipsi unum vel duos eligere, qui nomine ipsorum praefato regimini et directioni intendant [F. 341'].

Nullis omnino abbatibus praeterquam quatuor primariis et praesidibus congregationum liceat plures quam quatuor equitaturas ad capitulum generale adducere, et si qui aliter facere praesumpserint, in eo non admittantur [F. 341'].

Abbates regulares, qui capitulo generali defuerunt et legitimas excusationes non miserunt, in poenam contumaciae triginta coronatis aureis a vicariis generalibus provinciarum exigendis et cum illius contributionibus RR. domino *Cistercii* mittendis [puniantur], quod tamen non extenditur ad abbates monasteriorum in congregationes reductorum [F. 341', 342].

Quotiescunque contigerit aliquem ex abbatibus ordinis propter tenuitatem redituum et proventuum monasterii sui alicui alteri ex monasteriis commendatis praefici in priorem, etiamsi quae ad officium prioris spectant ibidem praestet, ratione tamen dignitatis abbatialis, qua fungitur, non prior, sed commissarius appellabitur [F. 342']. F. 343' leer.

XXVI. F. 344—345'. **Tenor privilegiorum congregationis s. Bernardi regnorum Hispaniae.** Quae privilegia postea etiam anno 1624 congregationi s. *Bernardi* ordinis *Cisterciensis Superioris Germaniae* concessa atque ad eandem congregationem extensa fuere (veröffentlicht im *Apiarium Salemitanum*, Frag 1708, S. LXXXV ff.). F. 346 leer. F. 347—377' Register.